



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

fortioribus nocere non possunt. Denique confidenti in Domino dictum est: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Signa quoque hæc credentium dixit fore, vt serpentes manu mulceant; venena his atque omne mortiferum, etiãsi biberint, nocere non possint. Et hic quidem fit libri quarti finis: vt instituto alterius tractationis initio, quãnam ratione de tam multiplicibus seruitutis nostræ malis erui queamus, deinceps consideremus.

Marci 16.

DE  
CHRISTIANA  
LIBERTATE  
LIBER QVINTVS,

*Continens viam & modum recuperatæ  
per Christum libertatis.*

PROOEMIUM.



I posteaquam generis nostri deplorandam funestamq. seruitutem ostendimus, quinto nunc loco eius excutiendæ rationem commonstremus: ad ipsum, vt arbitror, rerum ordinem, tractationis formã ac seriem accommodauerimus. Siquidem cum in calamitosam seruitutis conditionem quispiam incidit; simul vt hoc senserit, nihil habere solet prius, nihil in votis potius, quàm vt dissoluendæ eius certam possit viam rationemque prouidere. est autem ea nobis non nostra industria reperta, neque vlla humana vi constituta; sed inuenta diuinitus, sapientiæque ac benignitatis æternæ quadam impressione consignata: vt & in re esset

164 DE CHRISTIANA LIBERTATE  
manifesta ac facili, & occulta interim ad recuperandam  
libertatem gratiæ virtute, mirificè omnino conduce-  
ret. Quid enim Agni illius māsuetissima humillimaq;  
patientia illustrius? quid item ea ipsa, propter latentem  
sub ea diuinitatis virtutem maiestatem, que, validius  
ad conterenda humanæ vincula seruitutis? Ipse enim  
Agnus est Dei, qui tollit peccata mundi: ipse idem  
ille de tribu Iuda, qui draconem in omnes sæuientem  
inuisitata ratione deuicit: factus homo, vt mortem gu-  
stare posset, qui Deus erat, vt eam debellaret.

CAPVT I.

*Quàm idoneus nobis ad recuperandam libertatem  
Dux è celo missus sit.*

**N**OSTRÆ igitur libertatis auctorem, Chris-  
stum Dei & hominis filium, consilio diuina  
miserationis accepimus. Idoneum profusum  
per quem antiquæ captiuitatis vincula sol-  
uerentur. quòd & placare offensum Patrem solus pos-  
set, & tyrannum generis nostri oppressorem, poten-  
tissimè debellare. Cùm enim Deus esset ex Deo verus  
simulque homo innocentissimus, ipso etiam plenissi-  
mo gratiæ fonte exuberans: quid in eo desiderari po-  
tuit, vel ad pretij magnitudinem, vel ad doctrinæ salu-  
britatem, vel ad vtilitatem exempli, vel ad vincendæ  
virtutem, consulendique rationem? Quocirca Deus  
Pater, hoc ipsum nobis in nostro assertore & liberato-  
re commendans, loquitur per Itaiam & dicit: Ecce ser-  
uus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit  
sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum.  
Iudicium gentibus proferet: non clamabit, neque ac-  
cipiet personam: nec audietur vox eius foris. Calamum  
quassatum non conteret, & linum fumigans non ex-  
stinguet. in veritate educet iudicium, non erit tristis  
neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium; &  
legem

Cap. 42.